

tit. 26, num. 13 in fine, fere conciliantur inter se prædictæ duæ sententiæ oppositæ, et docet quod dictum testamentum minus solemne seu imperfectum, non sit quidem irritum et invalidum ipso jure, in foro conscientiæ, at tamen possit tale declarari per sententiam judicis, apud quem, tam hæres ab intestato quam hæres scriptus possunt licite agere, ut jus suum pro sua bona fide in diversis legibus et rationibus fundata defendant, quamvis sint de voluntate testatoris omnino certi; unde tale testamentum quadam ratione est validum, id est antequam per sententiam judicis irritetur, seu irritum declaretur, et quadam alia ratione est invalidum, id est quatenus potest, imo etiam debet per sententiam judicis invalidum declarari, si super eo in iudicio lis fuerit mota. Ita Cabassutius, *Juris canonici theoria et praxi*, lib. vi, c. 3; Pontas, verb. *Testamentum*, cap. 20 in fin.; Menochius, *De præsumptionibus*, lib. 1, præsumpt. 80, num. 7; Layman, lib. 1, tract. 4, cap. 17, n. 2; Sotus, *De justitia*, l. iv, quæst. 5, art. 3; Bannes, disp. 3, ad q. 62; Thomas Sanchez, lib. iv *Consil.*, c. 1; Reja, puncto *De furto et damno dato*, casu 2; Sa, verb. *Hæreditas*, num. 32, verb. *Testamentum*, num. 3; Tanner., tom. III *Theol.*, disp. 4, q. 6, dub. 13, num. 332; Pirrhing, lib. iii, tit. 56, num. 13; Reifensuel, *ibid.*, nu. 118, et in *Theologia moral.*, tract. 8, dist. 3, qu. 2, num. 15 et seq., et alii.

(53. Unde juxta hanc sententiam prædictarum duarum fere conciliativam concludimus, quod tale testamentum minus solemne seu imperfectum ad causas profanas validum est, et obligat in conscientia ante sententiam judicis. Secus autem postquam, uti debet, iudex sententiam tulerit pro ejus invaliditate, et hanc in primis videntur inferre præmissa fundamenta, utriusque prædictæ inter se oppositæ sententiæ, cum prior locum habeat ante sententiam judicis, et posterior solum post judicis sententiam.

(54. Probatur tamen ulterius quoad primam partem, quia ex tali testamento oritur obligatio naturalis, cujus præcipuus effectus est tribuere creditori jus accipiendi ac retinendi in conscientia id quod sibi naturaliter debitum est, donec exceptione legis civilis et per sententiam judicis elidatur. Obligatio enim naturalis sufficit ad transferendum dominium, adeoque testamentum illud validum est, et obligat in conscientia ante sententiam judicis, seu donec per sententiam judicis irritetur, vel irritum declaretur.

(55. Probatur etiam ulterius quoad secundam partem, quia, cum iudex secundum leges judicare debeat, c. *In istis* 3, dist. 4, et testamentum imperfectum seu minus solemne secundum leges citatas supra n. 50, sit invalidum, et nullum, et pro infecto haberi debeat, sententia sic prolata et justa in foro externo, erit etiam justa in foro interno, adeoque obligans in conscientia ad habendum tale testamentum

sic declaratum pro invalido, et nullius roboris; cum iudex auctoritate divina sententiam ferat, eique juste secundum leges judicanti, ut obediat, præcipiunt leges divinæ ac humanæ. Arg. c. *Quo jure* 1, dist. 8, c. *Omnis anima* 2, De censibus, ibi: «Omnis anima sublimioribus potestatibus subjecta sit,» cap. *Si quis* 2, De majorit. et obed., ibi: «In libro Regum legitur: *Qui non obedierit principi morte moriatur,*» Deuteronom. cap. xvii, 9 et seq. præcipit Deus: *Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad iudicem, qui fuerit illo tempore... sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.*

(56. Et quod post judicis sententiam etiam in foro conscientiæ pro irritato sit habendum tale testamentum, quamvis ante judicis sententiam pro valido haberetur, patet a simili variis exemplis ex jure desumptis: sic enim sine essentialibus solemnitatibus a jure requisitis electus, quamvis tuta conscientia beneficium retinere possit, si nemo se opponat, vel electionem impugnet, cap. *Quod sicut*, De election.; tamen post sententiam judicis illam electionem irritam et nullam declarantis, etiam in foro conscientiæ obedire, ac beneficium dimittere tenetur, ut tradunt communiter doctores. Item quamvis contrahens cum pupillo sine auctoritate tutoris, naturaliter, et in foro interno valide agat, de tuta conscientia retinere possit, quod vi talis contractus accepit, arg. leg. *Stichum* 95, De solutionibus, tamen postquam iudex contractum nullum et irritum declaraverit, acceptum restituere tenetur, ut fatentur omnes. Idem dicendum est in casu alienationis rerum ecclesiasticarum, non servatis debitis solemnitatibus et de multis aliis similibus.

(57. Hinc resolves quod testamentum sine debitis solemnitatibus conditum, ante sententiam judicis, et quando nemo se opponit, ita validum est in foro interno seu conscientiæ, ut hæres et legatarii in eo constituti, tuta conscientia accipere et retinere possint hæreditatem et legata sibi in tali testamento relicta; post sententiam vero judicis etiam in foro interno est ita nullum, ut ipsi tuta conscientia nihil accipere possint, et si quid acceperint, id totum restituere teneantur.

(58. Item resolves quod quando hæres ab intestato testamentum sine debitis solemnitatibus factum, beneficio legis utens impugnat, et iudex, prout debet, illud irritum et nullum declarat, tunc etiam in foro interno, seu conscientiæ, erit invalidum, ita ut nec naturaliter amplius obliget, et consequenter hæres ab intestato, vi illius, hæredibus vel legatariis institutis, hæreditatem et legata tradere nec in conscientia teneatur.

(59. *Quoad dispositionem capitis *Cum esse*, non sufficit, si sint duo vel tres testes, et absit parochus, cum in canone dictum sit *coram presbytero suo*; nec sufficit si defectum parochi suppleat capellanus. Demum

testes masculi requiruntur, nec feminae valent. Tandem valet testamentum ita conditum etiam si testator non sit in extremo vitæ periculo: *Institul. eccles.* 105, § 8, 9, 10.

(60. Scribenda sunt testamenta a parochis coram testibus et a testatore subscribenda, sicut etiam a parochis et testibus. Si tamen scribere ignorent, sufficit scriptura parochi, et signum crucis impressum in charta a testibus, *ibid.*, § 14.

(61. Ita scriptum testamentum saltem intra octo dies parochus cum testibus deferre debet tabellioni; et si adsit subscriptio testatoris, et testium, non requiritur, ut singula contenta in testamento referant notario. Si nulla sit testatoris subscriptio, tunc parochus, seu sacerdos viva voce exprimere debet, quidquid in eo testamento continetur; quod et a singulis testibus seorsim præstandum est. Denique, et singuli illi subscriptioem suam agnoscant. *Ibidem*, § 16. Has vero omnes depositiones scribat tabellio, et jungat testamento.

(62. Ad servanda vero quæ in testamento mandantur, discussio parochi et testium agenda est a iudice competente, citata parte, cujus interest, excepta tamen consuetudine, ut valeant testamenta, nulla facta publicatione, si illa reposita sint in archivio. *Ibid.*, § 16.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. Gravissima est quæstio, de qua hic agit auctor, an scilicet testamentum minus solemne obliget in conscientia. Ad rectam autem hujus quæstionis resolutionem prius videndum, utrum testamentum sit juris naturalis, an juris positivi.

(64. Jus autem naturale pro pace generis humani exposcere, ut introducto dominio, aliqua statuatur successio, non est quod dubitari possit. Assiduis enim discordiis, a quibus abhorret jus naturale, expositi essent homines, si in obitu cujuscunque, quæ ab eo relinquuntur bona, ea fierint primi occupantis, minimeque ex ordine successione stabilito ad vocatos pertinerent.

(65. At quod successio hæc sit potius testamentaria quam legitima, non determinat jus naturale. (66. Nec jus proprietatis eo extendendum, ut quis etiam post mortem de rebus suis disponere valeat, convenit propterea hodie fere inter omnes, testamentum non esse juris naturalis, sed juris positivi. Confer Bynkershoeck, *Observ.*, lib. ii, cap. 7.

(67. Posito autem, quod testamentum sit non juris naturalis, sed juris positivi, facile est dignoscere, ut ad propositam quæstionem veniamus, testamentum minus solemne non obligare in conscientia. Obligatio enim in conscientia descendere debet, vel a jure naturali, vel a jure positivo. At testamentum minus solemne nec obligat de jure naturali, quia, ut mox recognitum est, testamentum, tametsi solemne, non est juris naturalis, nec obligat de jure positivo, quia jus positivum non aliter vim obligandi tribuit testamento, quam concurrentibus solemnitatibus ab ipso præscriptis. Patet

igitur quidem ad evidentiam usque, testamentum minus solemne obligare in conscientia haud posse. Habes resolutionem gravissimæ quæstionis ex genuinis principiiis petitam.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt omnia testamenta privilegiata.

SUMMARIUM.

1. Testamenta privilegiata quid sint? — 2. Assignantur testamenta privilegiata. — 3. Testamentum ad pias causas quale sit? — 4. Nominè causæ piæ quæ veniant? — 5. Testamentum ad pias causas perfecte, et pro utroque foro est privilegiatum. — 6. In testamento ad pias causas sufficiunt duo testes. — 7. Dicti duo testes non sunt necessarii ad substantiam et valorem testamenti ad pias causas, sed tantum ad probationem. — 8. Unde si aliunde sufficienter constet de voluntate testatoris, testamentum ad pias causas est validum in utroque foro etiam sine testibus. — 9. Sic validum est testamentum ad pias causas etiam sine illis testibus, si manu propria testatoris nota et indubitata sit scriptum vel subscriptum; sicuti etiam valet, et sufficit cedula scripta vel subscripta ab ipso testatore, etiam nullo teste in ea subscripto vel presente. — 10. Item valida est dispositio testatoris ad pias causas, si ipse hæres ab intestato sine omni teste audivit defuncti voluntatem. — 11. Testamentum inchoatum, sed non perfectum valet quoad legata pia in eo relicta. — 12. Item quamvis testamentum ad causam profanam factum ob defectum solemnitatis civilis corruat, valet nihilominus quoad legata pia in eo relicta. — 13. Testamentum sine solemnitatibus a jure civili requisitis conditum ad causas pias, valet etiam quoad legata profana in ea contenta. — 14. Quamvis testamentum ad interrogationem alterius, et solis nutibus seu signis factum non valeat de jure civili, valet nihilominus ad pias causas. — 15. Item quamvis non valeat testamentum sine institutione hæredis, valent tamen legata pia in eodem testamento adjecta. — 16. Item quamvis non valeat testamentum cum hærede incerto, valet tamen favore causæ piæ. — 17. Item quamvis non valeat testamentum, quo quis hæreditatem, vel legata alterius arbitrio distribuenda committit, valet tamen si id fiat ad pias causas. — 18. Si aliunde de voluntate testatoris sufficienter non constat, tunc in testamento ad pias causas necessario requiruntur duo testes legitimi. — 19. Affertur ad id doctrina practica pro testatoribus, pro parochis et confessariis. — 20. Testes in his testamentis ad pias causas, non est necesse, quod sint rogati. — 21. Ad id possunt esse testes etiam feminae et aliæ personæ, quæ a jure civili non solent admitti. — 22. Item in testamento ad pias causas testis esse potest parochus, confessarius, beneficiatus et Religiosus, quamvis legata sint ad favorem propriæ ecclesiæ seu monasterii. — 23. An ex bonis relictis in testamento ad pias causas, seu ex legatis piis detrahi possit Falcidia? *remissive*. — 24. Testamentum inter liberos quale sit. — 25. Testamentum inter liberos est pro utroque foro privilegiatum. — 26. Ad valorem testamenti inter liberos quid de jure specialiter requiratur. — 27. Si parens manu propria testamentum inter liberos totum scripsit, valet, etiam si ipsemet nomen suum non subscribat. — 28. Secus autem si non ab ipso parente, sed ab alio scriptum sit testamentum. — 29. Etiam nuncupativum testamentum inter liberos valet, quamvis careat omni alia solemnitate, dummodo per duos testes de voluntate constet testatoris. — 30. Nec tales testes in testamento nuncupativo debent necessario esse rogati. Et in tali testamento possunt esse testes etiam feminae. — 31. Testamentum inter li-

neros est validum, quamvis parens eos inæqualiter instituat, dummodo cuius legitimam relinquat. — 32. Testamentum inter liberos non valet, si nullus in eo institutus sit hæres. — 33. Testamentum inter liberos non valet quoad extraneas personas hæredes institutas. — 34. Si autem in testamento minus solemniter inter liberos extraneæ personæ relinquatur aliquid per modum legati, aut fideicommissi valet. — 35. Testamentum minus solemniter patris inter liberos naturales et spurios, non est privilegiatum, adeoque non valet. — 36. Valet tamen testamentum minus solemniter matris inter liberos naturales et spurios. — 37. Testamentum militis in actuali expeditione bellica factum nullam penitus juris civilis solemnitatem requirit. — 38. Qui urbem obsident vel obsessam actualiter defendunt, censentur quoad hoc esse in actuali expeditione bellica. — 39. Ad testamentum militis in castris quidem, sed absque actuali expeditione bellica, seu actuali conflictu secure degentis, requiruntur duo saltem testes. — 40. Ad valorem testamenti militis, nec in castris, nec in aliqua actuali expeditione bellica, sed vel in hybernis, vel fortalitiis obsidionem actualem non patientibus præsidarii existentis, seu alibi secure degentis requiruntur ordinariæ juris solemnitates. — 41. Quamvis testamentum militis in actuali expeditione bellica quomodocunque valide fieri possit, si tamen eius voluntas non aliter, quam per testes probari possit, duo saltem testes ad id requiruntur. — 42. Testamenta militum in actuali expeditione bellica facta gaudent adhuc aliis privilegiis, quæ assignantur. — 43. Testamentum rustici potest ruri fieri coram quinque testibus casu, quo septem testes commode haberi nequeant. — 44. Dicti testes pro testamento rustici debent esse literati, si haberi possint, et omnes se subscribere debent. — 45. Si autem non omnes septem, vel respective quinque, unus tamen, vel plures scribere scientes facile inveniri possunt, debent illi loco aliorum litteras ignorantium, ipsis præsentibus, testamentum subscribere. — 46. Si vero nullus literatus haberi possit, potest rusticus etiam oretenus coram septem testibus, si haberi possunt, vel coram quinque, si septem commode haberi nequeant, valide testari per verba. — 47. Testamentum rustici coram paucioribus, quam quinque testibus, nullo modo valet, etiamsi fiat in loco, ubi quinque testes haberi non possunt. — 48. Testes in testamento rustici eodem modo debent esse idonei et qualificati, sicuti in aliis testamentis non privilegiatis. — 49. Rustici habitantes in pagis, ubi septem testes facile haberi possunt, sicuti si in urbe vel oppido testamentum faciant, licet alias ordinariæ ruri habitent, nullo gaudent ad id privilegio. — 50. An tali privilegio rusticorum gaudeant etiam cives et nobiles ruri recreationis gratia, vel alia de causa degentes, et ibi ægrotantes, ac ideo ibidem testantes? — 51. Ad testamentum factum tempore pestis ita sævientis, ut septem testes haberi nequeant, sufficiunt quinque, vel etiam duo soli testes. — 52. Imo varii volunt, quod ad tale testamentum tempore pestis adeo sævientis, ea sola sufficiant, quæ de jure naturæ et gentium requiruntur, et consequenter hujusmodi testamentum coram duobus testibus factum in utroque foro subsistat. — 53. Stando tamen in præciso rigore juris communis, ad testamentum tempore pestis non ita sævientis, quin haberi possint septem testes et observari aliæ solemnitates de jure requisitæ, debent omnes tales solemnitates observari, et omnes dicti septem testes adhiberi, quamvis alioquin non omnes septem simul, et semel congregati esse debeant, sed successive venire possint. — 54. Testamentum principi oblatum quale sit? — 55. Testamentum coram principe factum quale sit? — 56. Non solum testamentum in scriptis jam factum principi offerri, sed etiam oretenus coram eodem potest fieri testamen-

tum validissimum absque omni juris solemnitate. — 57. Testamentum principi oblatum, vel coram eo factum, est validissimum absque omni juris solemnitate. — 58. Item privilegiatum est testamentum ad acta datum, et quodnam illud sit? — 59. Item privilegiatum est testamentum apud acta factum, seu coram actis factum, et quodnam illud sit? — 60. Ad valorem testamenti ad acta dati, seu apud acta, vel coram actis facti, sive in loco iudicii, sive extra illud, nulla alia requiritur juris solemnitas, dummodo legitime constet et probari possit testamentum revera ad acta datum, seu apud acta, vel coram actis factum fuisse. — 61. Testamenta cardinalium sunt æque privilegiata, ac testamenta militum. — 62. Et in illis attenditur sola veritas naturalis. — 63. Atque sufficit sola schedula scripta vel subscripta manu cardinalium absque testibus. — 64. Alia ad rem ad n. 69.

(1. Testamenta privilegiata sunt testamenta quæ, licet careant solemnitatibus alias de jure communi requisitis, ex speciali tamen privilegio valent ac si ipsas haberent. *Communis*. (2. Et testamenta privilegiata sunt: testamentum ad pias causas, testamentum parentum inter liberos, testamentum militum in expeditione bellica conditum, testamentum rusticorum, testamentum tempore pestis factum, testamentum publicum, id est fidei et auctoritate publica, principis nempe vel iudicis. *Communis*.

(3. Testamentum ad pias causas esse illud, in quo pro hærede instituta est causa pia. *Communis*. (4. Nomine causæ piæ veniunt hic omnia loca, et instituta pia, ut ecclesiæ, conventus seu monasteria, hospitalia, nosocomia, confraternitates et pauperes omnes, non solum qui carent necessariis vitæ et naturæ, sed etiam qui carent necessariis ad decentem sustentationem juxta qualitatem et conditionem sui status, quales interdum possunt esse etiam nobiles, barones, comites, imo et principes, qui non ob excessivam pompam et luxum, nec ob malam dilapidationem, nec ob aliam culpam propriam, sed ex infortunio vel casu aliquo, ut incendio, ruina, bello, latrocinii, multitudine prolium, et hujusmodi, valde egent necessariis statui ac conditioni suæ; dummodo tamen eisdem principaliter ob honorem et amorem Dei, et animæ salutem hæreditas, vel legata relinquuntur. *Communis* per text. in cap. *Consideranda* 17, dist. 86, ubi expresse fit mentio etiam de iis, qui divites vel nobiles ad egestatem absque proprio vitio pervenerunt.

(5. Testamentum ad pias causas perfecte, et pro utroque foro est privilegiatum, ita ut non solum in foro interno, sed etiam in foro externo valeat, quamvis careat solemnitatibus a jure civili alias ad testamentum requisitis, dummodo aliunde sufficienter constet de testatoris ultima voluntate, *Communis*; textu expresso in c. *Relatum* 11, De testamentis, ibi: « Mandamus quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta; eam non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis. » Et tale testamentum esse privilegiatum etiam de jure civili, non obscure desumitur ex l. *Si eum seruum* 28, ff. *De fideicom-*

missariis libertatibus, ubi licet pater imperfecto testamento libertatem cuidam reliquisset, eum nihilominus manumittere debuerunt filii, et ex l. *Habeat* 1, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*; et dato quod tale testamentum non esset privilegiatum de jure civili, adhuc debet dici privilegiatum pro foro civili a jure canonico in cit. cap. *Relatum*; ubi, ut fatentur doctores communiter, sunt correctæ leges civiles solemnitatem requirentes in testamento ad pias causas; et ratio est, quia in causa et materia spirituali, qualis est testamentum ad pias causas, servandum est jus canonicum in utroque foro, tam civili seu laicali, quam ecclesiastico, ac in quovis loco seu territorio; arg. cap. *Quæ in ecclesiarum* 7, et cap. *Ecclēsia S. Mariæ* 10, De constitutionibus; sicque servat praxis et consuetudo universalis, quæ est optima legum interpretis; l. *Si de interpretatione* 37, et l. *Nam imperator* 38, ff. *De legibus*, c. *Cum dilectus* 8, De consuetudine.

(6. In testamento ad pias causas sufficiunt duo testes. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Relatum* 11, De testamentis. (7. Dicti duo testes non sunt necessarii ad substantiam et valorem testamenti ad pias causas, sed tantum ad probationem in foro externo, in casu, quo aliunde non constet, nec probari possit voluntas testatoris, nisi per testes, Fagnan., in c. *Cum esses* 10, De testament., n. 8; Covarruv., *De testament.*, cap. 11, n. 12; Menochius, lib. III, consil. 224, a n. 58; Engel, lib. III *Decretal.*, tit. 26, n. 18; Pirrhing, *ibid.*, n. 20; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 143; card. Petra, tom. II *Commentar.* ad constit. 10 Innocent. III, sect. 3, n. 15; card. de Luca, *De testamentis*, disc. 14, n. 5 et 7, et alii passim, ac Rota, dec. 374, n. 6, part. 1, *Divers.*, dec. 311, n. 16 et 17, *coram card. Cerro*, dec. 663, num. 3; *coram Emerix jun.*, et in *Barlino-nen. hæreditatis* 11 Martii 1689, § *Cumque, coram D. Molines*, et in *Coloniensi testamenti* 23 Junii 1704, § *Quoniam, coram D. Lancetta*. (8. Unde, si aliunde sufficienter constet de voluntate testatoris, testamentum ad pias causas in utroque foro, tam externo quam interno civili et canonico, etiam sine testibus validum existit. *Communis* cum omnibus supracitalis, et aliis: modus enim probatorius per duos testes inductus in cit. cap. *Relatum* non importat necessitatem testium, sed exemplificative fuit dictum de iis, ut naturalis probatio resultet, et sufficienter constet de voluntate testatoris, de qua aliunde sufficienter constante, non est curandum an testes intervernerint, necne. Cum non sit opus alia probatione, quando de veritate constat.

(9. Sic validum est testamentum ad pias causas etiam sine ullis testibus, si manu propria testatoris nota et indubitata sit scriptum vel subscriptum. Sicuti etiam valet et sufficit ad id cedula scripta vel subscripta ab ipso testatore, etiam nullo teste in ea subscripto vel præsentate, quidquid dicant aliqui apud Mantic. *De conject.*, lib. VI,

tit. 3, n. 4; Tiraquell., *De privileg. piæ causæ*, privil. 1. Nam sic communiter sustinent doctores citati, et Velasc., cons. 67, n. 8; Barbosa, in cit. cap. *Relatum*, n. 4; card. de Luca, discurs. 26, n. 8, *De testamentis*; Gratian., discept. 705, n. 20 et seq.; Cabed., *Decis. Lusitan.* 129, n. 12, lib. II; Rota, p. XIX, tom. II, recent. dec. 449, n. 3, et sæpe alibi.

(10. Item valida est dispositio testatoris ad pias causas, si ipse hæres ab intestato sine omni teste audivit defuncti voluntatem: in hoc enim casu omnino tenetur in foro interno adimplere defuncti voluntatem: imo etiam in foro externo, si fateatur, se revera eam audivisse; arg. *A fortiori*, l. *Non dubium* 16, cod. *De testament.*, ubi de testamentaria voluntate defuncti etiam ad causas profanas, quamvis carente debitis solemnitatibus, sic statuitur: « Tamen si sua sponte agnoverit, implendi eam, necessitatem habeat. » Et concordat l. *Etsi* 2, cod. *De fideicommissis*, ibi: « Si hæredes, comperta voluntate defuncti, » etc., et alia adductæ *art. antecedenti* sub n. 47. Vide *ibi*.

(11. Testamentum inchoatum, sed non perfectum, quia testator morte præventus non potuit illud absolovere, licet alias invalidum sit, l. *Si is qui*, ff. *Qui testamenta facere possunt*, valet tamen quoad legata pia in eo relicta, quæ in illa imperfecta dispositione jam expressa erant. Covarruv., *De testamentis*, cap. 11, num. 14; Layman, lib. III, tract. 5, cap. 2, n. 6; Molina, disp. 133, n. 9; Abbas, in cap. 1, *De successione ab intestato*, n. 2; Pirrhing, *loco cit.*, n. 22; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 173; Tiraquell., *loco cit.*, privileg. 7; Decius, cons. 150, testans de communi, Bartolus, Jason, Alexander, et Communis aliorum contra Clarum, § *Testamentum*, quæst. 7, n. 4. Et ratio est, quia in testamento ad pias causas non attenditur rigor juris civilis; argum. cap. *Relatum* 11, De testamentis; sed sufficit quod vere constet de voluntate testatoris, uti revera constat in hoc casu quoad legata pia in tali testamento jam expressa.

(12. Item quamvis testamentum ad causam profanam factum ob defectum solemnitatis civilis corrumpat, valet nihilominus quoad legata pia in eo relicta. Pirrhing, *loco cit.*, num. 22; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 194; Engel, *loc. cit.*, num. 20; Covarruv., in cap. *Relatum* 11, n. 2 et 3, De testamentis; Molina, *loc. cit.*, *De justitia*, tr. 3, disput. 134, num. 2; Thuscus, verb. *Legatum*, conclus. 109, num. 7; Layman, *loc. cit.*; cardin. Petra, *loc. cit.*, num. 62, et ipso teste, Communis aliorum. Et ratio est, quia in relictis ad causam piam non attenditur jus civile; argum. cit. cap. *Relatum* 11, De testament., adeoque, quamvis tale testamentum corrumpat quoad profana, valet tamen quoad legata pia in eo relicta.

(13. Testamentum sine solemnitatibus a jure civili requisitis conditum ad causas pias, valet etiam quoad legata profana in eo contenta. Covarruv., *De testamentis*

cap. 11, num. 2; Molina, cit. disp. 133; Tiraquell., *loc. cit.*, privileg. 80; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 22; Engel, *loc. cit.*, n. 19; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 161; Layman, *loc. cit.*, num. 10, et alii passim contra paucos alios. Et ratio est quia cum tale testamentum valeat tanquam principale, debent valere etiam legata tanquam accessorium; argum. cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

(14. Quamvis testamentum ad interrogationem alterius, et solis nutibus seu signis factum non valeat de jure civili, per text. in l. *Jubemus* 29, cod. *De testamentis*, valet nihilominus ad pias causas; Tiraquell., *loc. cit.*, privileg. 8; Barbosa, in cap. *Cum tibi* 13, n. 3, De testamentis; Menoch., *loc. cit.*, n. 24; card. Petra, *loc. cit.*, n. 40; Jul. Clar., § *Testamentum*, quæst. 6, n. 7, et alii communiter. Testari enim ad interrogationem alterius, et solis nutibus ac signis non est prohibitum jure naturæ et gentium, sed jure civili, quod in testamentis ad pias causas non attenditur, argum. cit. cap. *Relatum* 11, De testamentis.

(15. Item, quamvis non valeat testamentum sine institutione hæredis, valent tamen legata pia in eodem testamento adjecta. Rota, part. xix, tom. II, rec. decis. 484; card. de Luca, *De testamentis*, disc. 16, n. 4; card. Petra, *loc. cit.*, n. 45, et alii passim.

(16. Item, quamvis non valeat testamentum cum hærede incerto, valet tamen favore piæ causæ, ut si testator dicat: *Instituto hæredes pauperes, animas purgatorii, ecclesiam, et hujusmodi.* Barbosa, in citato cap. *Cum tibi* 13, n. 4, De testamentis; Tiraquell., *loc. cit.*, privileg. 55 et 56; card. de Luca, *De testam.*, disc. 22, n. 5; card. Petra, *loc. cit.*, n. 42; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 151, et Communis aliorum.

(17. Item, quamvis non valeat testamentum, quo quis hæreditatem vel legata alterius arbitrio distribuenda committit, per text. in l. *Illa* 32, l. *Si quis* 68, ff. *De hæred. instit.*, tamen valet, si id fiat ad pias causas, v. g. dicendo: *Instituto hæredes bonorum meorum pauperes, quos Franciscus elegerit, vel lego mille aureos decem puellis, centum pro unaquaque, si hæres meus voluerit, et hujusmodi.* Ita Jul. Clar., § *Testamentum*, q. 6, n. 5; Covarruv., *De testament.*, in cap. *Cum tibi*, n. 12; Layman, *loc. cit.*, n. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 23; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 151, et alii communiter; argum. cap. *Cum tibi* 13, De testamentis, juncto ejus Summario sic expresse dicente: « Tenet testamentum, si quis extremam voluntatem suam alterius dispositioni committit, et dicitur testatus ad pias causas. »

(18. Si aliunde de voluntate testatoris sufficienter non constet, tunc in testamento ad pias causas necessario requiruntur duo testes legitimi, adeo ut nec in foro interno hæres ab intestato credere teneatur uni soli testi, licet omni exceptione majori testimonium suum etiam juramento confir-

mant. Layman, lib. III, tract. 5, cap. 2, n. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 152, et ipso teste, Communis aliorum, argum. citato cap. *Relatum* 11, De testamentis; ubi ad valorem testamenti ad pias causas duo saltem vel tres testes requiruntur, et cap. *Licet universis* 23, De testibus, ubi tanquam regula juris traditur, quod unus testis ad probandum non sufficiat cum alterius præjudicio; alioquin enim plurimæ fraudes et injuriæ contingerent.

(19. Hinc recte advertunt Reiffenstuel et Layman, *loco citato*, et alii, quod improvide ac periculose agunt, tam testator, qui uni soli, v. g. soli parochi aut soli confessario manifestat, quam ipse parochus seu confessarius, qui suscipit voluntatem ultimam referendam hæredibus ab intestato; quia hoc ipso, quod uni soli, quisquis ille sit, credere non teneantur hæredes ab intestato; dispositio talis ultima periculo nullitatis semper exponitur. Quamvis ipsemet parochus seu confessarius legata in scheda adnotaverit, non creditur illi sine alio teste, ut expresse dicit, *ibid.*, Layman. Quare, subjungit, monendi sunt parochi aliique confessarii, ut ultimas ejusmodi dispositiones ad causas pias non excipiant, nisi advocatis duobus testibus masculis aut feminis, vel saltem uno, qui simul cum parochi vel confessario sufficere poterit. Et in tali casu, si testator coram testibus dicat, quod velit quædam ad pias causas erogari, sicuti parochi aut confessario suo mandavit, tunc parochus seu confessarius audiri debet, et secundum ejus relationem executio fieri, modo talia indicia afferat, ut, spectatis circumstantiis, verisimile esse possit, defunctum ea ipsi mandasse. Sic Covarruvias, in cap. *Cum tibi* 13, n. 23, De testamentis; Navarr., lib. III, consil. 16, *De testamentis*, edit. 2; Layman, *loco citato*; Reiffenstuel, *loco citato*, n. 153, recte addens quod vel testator committet ipsi hæredi ab intestato suam dispositionem ad piam causam, vel, quod melius est, manu propria scribat aut duos testes adhibeat.

(20. Tales testes in his testamentis ad pias causas non est necesse quod sint rogati. Abbas, in c. *Relatum* 11, n. 3, De testamentis; Fagnan., *ibid.*, n. 12; Barbosa., *ibid.*, in fine; Covarruv., *ibid.*, num. 5; card. Petra, *loco citato*, n. 28; Jul. Clarus, *loco citato*, n. 154, et alii communiter. (21. Ad id possunt esse testes etiam feminæ et aliæ personæ, quæ a jure civili non solent admitti, dummodo non sint infames, mentis impotes, vel alias reprobata ratione delicti. Fagnan., in cit. cap. *Relatum*, n. 14, et cit. cap. *Cum esses*, n. 34 et seq.; Reiffenstuel, lib. II *Decretal.*, tit. 20, n. 88; card. Petra, *loco citato*, n. 29; Ancharanus, in cit. cap. *Cum esses*, n. 6, et plurimi alii, volentes quod in testamento ad pias causas testis esse possit quicumque de jure naturæ et gentium a ferendo testimonio non repellitur.

(22. Item in testamento ad pias causas

testis esse potest parochus, confessarius, beneficiatus et religiosus, quamvis legata sint ad favorem propriæ ecclesiæ seu monasterii. Layman, cit. lib. III, tract. 5, cap. 2, sub n. 5; Tiraquell., *De privileg. causæ piæ*, privileg. 93; card. de Luca, *De testament.*, disc. 8, n. 20; Farinacius, qu. 60, *De testibus*, n. 463 et seq.; Mascard., conclus. 3, n. 11 et 12; Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 29, n. 101; Reiffenstuel., *ibid.*, n. 197 et 198 cum seq., et Comm. aliorum per clar. text. in c. *Insuper* 6, et c. *Cum nuntius* 12, De testibus.

(23. An ex bonis relictis in testamento ad pias causas, seu ex legatis piis detrahi possit falcidia? Vide verb. *FALCIDIA*, et verb. *LEGATUM* a n. 137.

(24. Testamentum inter liberos est illud quod parentes, pater nempe, vel mater, vel ascendentes in linea recta faciunt, et in eo liberos vel nepotes instituunt: *Communis*, per text. in l. *Inter omnes*, 26, cap. *Familia erciscundæ*; l. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis*, ibi: « Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos a parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus. » Et quia, ut expresse habetur in leg. *Appellatione* 51, ff. *De verb. appellat.*: « Appellatione parentis, non tantum pater, sed etiam avus et proavus, et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater, et avia, et proavia; ideo etiam illud testamentum, quod ascendentes pro hæredibus instituunt, testamentum inter liberos, ac consequenter privilegiatum erit. » Layman, lib. III *De justitia*, tract. 5, cap. 2, num. 11; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 26, num. 180, et alii per text. in novell. 107, in *Præfatione*, ibi: « Insuper et Theodosius decrevit, non in patribus solum hoc disponens, sed etiam in matribus et ascendentes utriusque naturæ. »

(25. Testamentum inter liberos est pro utroque foro privilegiatum, unde valet in utroque foro, quamvis careat solemnitatibus de jure civili ad testamentum ut sic requisitis; dummodo ad illud concurrant ea quæ pro eodem a jure specialiter requiruntur. *Communis*, textu expresso in cit. leg. *Inter omnes* 26, cod. *Familia erciscundæ*; et cit. leg. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis*.

(26. Ad valorem testamenti inter liberos de jure specialiter requiritur, et sufficit quod si fiat in scriptis, parens testans « primum ejus subscriptione tempus, quo testamentum fecit, declaret; deinde quoque filiorum nomina propria manu; ad hoc uncias, in quibus scripsit eos hæredes (id est id quod cuiuslibet ex liberis relinquere intendit) non signis numerorum significandas, sed per totas litteras declarandas, ut undique clara et indubitata consistant. » Sic expresse habetur in novella 107, cap. 1. Et concordat cit. l. *Inter omnes* 26, cod. *Familia erciscundæ*, ibi: « Sive coeptum, neque

impletum testamentum, vel codicillus seu epistola parentis esse memoretur, sive quocumque alio modo scripturæ quibuscumque verbis vel indicis inveniantur relictæ..... defuncti dispositio custodiatur, etiamsi solemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta. » Et authent. *Quod sine*, cod. *De testamentis*, ibi: « Quod sine subscriptione ita procedit, si parens litteras edoctus manu propria, non signis, sed litterarum consequentia declaret, et tempus, et liberorum nomina, item et unciam numerum, seu signa rerum specialium. »

(27. Si supradicto modo parens manu propria testamentum inter liberos totum scripsit, valet etiamsi ipsemet nomen suum non subscribat. *Communis*, argum. cit. l. *Hac consultissima* 21, et cit. authent. *Quod sine*, cod. *De testamentis*. (28. Si autem non ab ipso parente, sed ab alio scriptum sit testamentum, ad hoc ut sit validum absque omnia alia solemnitate, debet parens propria manu ipsum subscribere. *Communis*, arg. cit. l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*.

(29. Etiam nuncupativum testamentum inter liberos valet, quamvis careat omni alia solemnitate, dummodo per duos testes constet de voluntate testatoris. *Communis*, cit. leg. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis*, ubi sine ulla distinctione testamenti scripti et nuncupativi absolute dicitur, testamentum imperfectum valere, si sit inter liberos.

(30. Nec tales testes in testamento nuncupativo inter liberos debent necessario esse rogati. Et in tali testamento possunt esse testes etiam feminæ. *Communis*. Quod enim testes debeant esse rogati et masculi, est solemnitas juris civilis requisita ad testamentum non privilegiatum, quæ in testamento privilegiato, uti est testamentum inter liberos, non attenditur textu expresso in cit. l. *Inter omnes*, 36, cod. *Familia erciscundæ*, ibi: « Etiamsi solemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta. »

(31. Testamentum inter liberos est validum, quamvis parens eos inæqualiter instituat, uni majorem et pinguiorem partem hæreditatis assignando, quam alteri: dummodo cuius legitimam relinquat. Sic fere communis doctorum contra paucos per textum in l. *Parentibus* 8, cod. *De inofficioso testamento*, ibi: « Parentibus arbitrium dividendæ hæreditatis inter liberos adimendum non est: dummodo non minus is, qui pietatis sibi conscius est, partis, quæ intestato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex judicio parentis obtineat; » et concordat lex *Cum pater* 77, § 8, ff. *De legatis* 2.

(32. Testamentum inter liberos non valet, si nullus in eo institutus sit hæres. *Communis*. Nullum enim testamentum, quantumvis privilegiatum, valet seu subsistit sine hæredis directa institutione, per jura adducta *artic. antecedenti* num. 3. Vide *ibi*.